

» munda mundis (a). » Et si mundis omnia munda quæ videntur in mundo, quanto magis Deo munda sunt omnia, qui mundus fecit omnia munda. Sic enim scriptum est: « Et vidit Deus omnia quæ fecit, et ecce valde » bona (b). » Et si bona omnia, consequenter et munda. Sed cum nos male utimur rebus mundis a Deo factis, quæ erant munda nobis facta sunt immunda vel turpia. Sic enim alibi de animantibus dictum est: « Immunda erunt » vobis (c). » Hoc est dicere: « Vobis erunt immunda, » non mihi, in personam statuens, non revocans ad naturam; et ascribens vitio utentis, non instituto imputans Creatoris. Nam et vinum natura bonum est, sed ebrioso malum est; et mel bonum et dulce est, sed causario contrarium atque inimicum est; et « Lex bona est (d), » ut dixit Apostolus, sed si quis ea jure utatur; quia qui ea jure non utitur, non utitur, sed abutitur. Non ergo ista omnia immunda fecit natura, sed causa, quia interdicta sunt. Interdicta sunt specialiter, non maledicta generaliter, nec absoluta fuit rerum illa damnatio, sed personæ mandata temporaliter prohibitio. Sed hoc probavimus testimoniis; doceamus exemplo, et munda esse quæ dicuntur immunda monstramus. Omnibus notum quibus eVectus Elias venerabilis gerit in sæculo peregrinum, ut per gradus laurigeros triumphorum, singulari de mundo transcurso, ad paradisi tetenderit com meatum, sanctitate plenus, virtute perfectus, cœli conscius, æterni nemoris inquilinus: Elias, inquam, ille venerabilis currus ignei vector illæsus, et intrepidus quadrigæ flammigerantis auriga, qui in carne mortali per ignem transivit in ignem. In paradysum enim docetur esse transvectus, et quoniam paradysus, ejecto homine, verus est ignis ambitus, vehiculum accepit ignis, ut flammis ignei possit superare custodis.

(a) Tit. 1, 15. — (b) Gen. 1, 31. — (c) Deut. xiv, 7. — (d) 1 Tim. 1, 8.

« Et ascendit, inquit, Elias in commotionem quasi in cœlum (a), » sed quasi in cœlum, non in cœlum. « Nemo enim » ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius » hominis qui est in cœlo (b). » Sed non prætereamus hoc testimonium, ubi maxime intervenit dominicum sacramentum. « Nemo, inquit, ascendit in cœlum, nisi qui » de cœlo descendit, Filius hominis qui est in cœlo. » Ecce in terra est, et cœlo non deest; apud Patrem est, et in cœlo est; in utero totus est, et in cœlo totus est; et apud Patrem totus est¹. In utero interior, in sæculo exterior, apud Patrem superior. O magnum Deum ubique diffusum! Implet uterum, continet mundum, possidet cœlum.

XIV. Sed ad propositum redeamus. Dixit Dominus ad Eliam: « Vade ad torrentem, in cymarro Charath, » qui est ad faciem Jordanis... Et corvi afferebant ei » panes mane et carnes meridie; et de cymarro bibebat² » aquam (c). » Est-ne hinc ulla contentio, et quod vocetur in dubium? Quî sanctum virum corvis ministrantibus pastum et officio immundi volucris adnutritum³ inficietur impietas? At ego teneo illam Domini sententiam generalem qua cautum est: « Quia quidquid tetigerit immundus, » immundum est (d). » Ecce corvus panes attulit, corvus carnes advexit, et immundum non potuit esse quod tetigit⁴; nec immundus factus est qui accepit. Probavit Apostolus qui dixit, « Quia omnia munda mundis (e); » et utique adhuc illis temporibus, hæc vigeant quæ de animantibus cavebantur. Nolo interim de carnibus, quales fuerint disputare, quæ etsi esse poterant licitæ, tamen ex contactu immundi alitis fiebant, præscripto legis, im-

(a) 4 Reg. 11, 11. — (b) Joan. 11, 13. — (c) 3 Reg. xvii, 3-6. — (d) Num. xix, 22. — (e) Tit. 1, 15.

¹ Vide Tract. in Joan. xii, n. 8; et Serm. ccxciv, n. 9. — ² Codex male bibat. — ³ Id. pasto, et postea ad natatum. — ⁴ Vide lib. xxxi. contra Faustum, cap. 1-14.

mundæ: «Quia quidquid tetigerit, dictum est, immundus, » immundum erit (a). » Sed immundum sancto viro nihil esse potuit, in cuius persona præscriptum generale cessavit; ac proinde ostenditur personale esse quod cavebatur in animantibus singulis, quod per meritum utentis irritum perducitur in corvis; nisi quia audivit corvus quod non vult audire Judæus. Ille audiendo factus est mundus, Judæus non audiendo remansit immundus. Probavit Apostolus qui dixit « Quia omnia munda mundis. » Immundum ergo esse non potuit, quod immundus corvus tetigit; et uterum immundum esse potuit quem Christus implevit? O interea corvos ministros ubique devotos! nigros in colore, sed candidos in timore; immundos in nomine, sed mundos in opere. Emundavit tandem corvus culpam suam, et reversus est ad obedientiam; tunc enim exiens de arca, non rediit; nunc pastus necessarios servo Dei opportunus obsonator exhibuit.

XV. Sed putas immundum fuisse uterum Virginis, ut ad rem, de qua loquimur, redeamus; accipe ergo rationem de simili exemplo, qui dubitas, qui indignum Deo putas uterum, aut ex utero Deum ullum contagium contrahere potuisse. Sol mundum uniformi claritate collustrat; et diversus in singulis effectus invenitur. Ceram solvit, indurat lutum, stercora discoquit, cœnulentia desiccatur; et ita radios suos per diversa jaculatur, ut ex his, quæ vi sui ardoris exsuccat, penitus nesciat inquinari. Deus ergo inquinari posset ex utero, cum sol non inquinetur ex cœno? aut Christus contaminaretur ex vulva, cum sol non inficiatur ex cloaca? Verumtamen etiam immundus ex origine sua possit credi ille uterus, sed ingressu Dei factus est mundus. Ubi enim totam Virginem virtus Altissimi obumbraverat, ubi Verbum se incorruptibiliter incorporabat,

(a) Num. xix, 22.

ubi Spiritus sanctus membra plasmabat, immundum esse quid poterat, cum ex conversatione Verbi quidquid immundum credi potuit, sine dubio posset repente mundari? Et si immundam secundum legem in profluvio sanguinis mulierem tactu fimbriæ ipsius emundavit, eodem Deo uterum ingresso, etiamsi uterus naturaliter esset immundus, mundari non potuit?

XVI. Huc accedit quia uterus Virginis fuit sanctus, mundus, purus, illæsus, illibatus, sicut ab artifice Deo factus, ita artificis ipsius majestate repletus; in quo agnovit integrum opus suum Deus; de quo exivit Deus, quasi novus maritus de thalamo suo. Novus enim maritus carnis exivit de puro thalamo ventris, et parvæ sanctitatis putatur hic uterus, ut Deus¹ quem ferre non poterat totus mundus, in visceribus ejus teneretur inclusus?

XVII. Apparuit² Dominus sancto Moysi in monte Choreb, cum rubus igni arderet et non arderet; et flamma spinas lamberet et non cremaret. Væ vobis, peccatores, qui hæc prætereuntes auditis! ardet flamma, et non comburitur spina. Arsura sunt corpora in gehenna et non finitur in ardente substantia, sicut non finitur et poena. Et vox ad eum talis emissa est: « Moyses, Moyses, solve » calceamentum de pedibus tuis; locus enim, in quo stas, » terra sancta est (a). » Si ergo terra illa sanctificata est quia ibi Moysi majestas apparuit, quanto magis sanctificatus est uterus in quo ipsa majestas intravit? Ecce intrat in tenebris lucerna, et splendore suo lucere facit totam domum. Intravit lumen verum, id est Deus, in uterum, et fecit uterum sanctum. Sanctus ergo ille uterus fuit, in quem Sanctus intravit, sanctificavit, et sanctus sicut

(a) Exod. iii, 5.

¹ Cod. male *Deum*. — ² Vide Serm. vi et vii.

intravit, exivit, Angelo dicente: « Propter quod et qui » ex te nascetur Sanctus, vocabitur Filius Dei (a). »

XVIII. Absit ergo, absit ut dedignaretur intrare in uterum Virginis, qui non dedignatus est intrare in caminum ignis ardentis, teste Nabuchodonosor, qui ait: « Nonne » tres viros misimus ligatos in medio ignis ardentis? Et » quomodo video quatuor viros solutos et deambulantes » in medio ignis, et corruptio nulla in eis? et similitudo » quarti similis est Filio Dei (b). » Qui ergo intravit in fornacem ignis ardentis¹, ipse intravit in uterum Virginis permanentis. Quis est qui intravit in fornacem ignis? Filius Dei. Quis intravit in uterum Virginis? Filius Dei. Illinc excussit flammam, hinc exclusit naturam. Sicut ergo arsit in fornace ignis et non combussit, ita exivit ex vulva Virginis et nihil corruptit. In fornace ignis, pro tribus pueris eruendis intravit; pro toto mundo redimendo in uterum Virginis intrare non debuit?

XIX. Sed contra naturam, inquit Judæi, Virgo parere non potuit². O impudentia singularis! semper cadit, et nunquam cedit. Et si ille non cedit qui semper cadit, multo magis veritas non cedit, quæ nunquam cadit, et semper vincit, Scriptura dicente: « Veritas vincit, et in- » valescit, et vivit, et obtinet in sæcula (c). » Contra naturam, inquit, parere Virgo non potuit. Putaverunt sane ex parte aliqua nobis rapuisse³ victoriam. Ecce igitur provocamur ad pugnam; sed nihil metuum, nihil verebor; jam enim sauciatus est iste qui provocat. Contra naturam, inquit, parere Virgo non potuit; ergo contra naturam

(a) Luc. 1, 35. — (b) Dan. 11, 91, 92. — (c) 3 Esdr. 14, 38.

¹ Vide Quæst. in Vetus Testamentum tom. III, Appendicis Maurinensis fol. 146, littera D. — ² Vide Sermonem cccxlv, tom. v Appendicis fol. 401, n. 3. —

³ Codex *parasse*; non est sensus; erravit sane amanuensis ponendo *parasse*, loco verbi *rapuisse*.

in tabernaculo Testimonii, sacerdotis Aaron virga floribus tunc absque naturali adjutorio germinavit. Non enim suggestus seminis inerat, non radice, non altricis terræ genitales succi aderant. Quod etsi in natura virga habuit, abscissa stipitibus¹ retinere non potuit. Et tamen illic cum deessent universa jura naturæ, protulit virga quod nec succo, nec semine suggeri potuit, nec radice.

XX. Sed forsitan aliquibus facti hujus historia videtur ignota; breviter dicam. Cum Chore, Dathan et Abiron adversus sanctum Moysen et Aaron, sibi sacerdotium vindicarent, et contra dispositionem Dei vellent noviter in sacrilegum schisma prorumpere, hiatu terræ descendentes absorpti, viderunt sua funera perituri, et contra rerum opinionem, ante sunt sepulti quam mortui. Aperta fauce glutivit terra sacrilegos, et insatiabilis hiatus non recepit quos servaret, sed rapuit quos² puniret. Merserunt ad inferos viva corpora, et ita est in miseris poena grassata, ut quæ solent morientium esse solamina, ipsa illis poenalis fieret sepultura; nec mortuos aggestus terræ obruit, sed vivos poena sepelivit. Illis ergo auctoribus absorptis, et gregalibus eorum divino incendio concrematis, ita enim scriptum est: « Aperta est terra, et deglutivit Dathan, et » cooperuit super synagogam Abiron, et exarsit ignis in » synagoga eorum (a); » jubet Dominus sancto Moysi de singulis tribubus virgas afferri. Allatæ duodecim virgæ, inter quas etiam una erat de tribu Levi, quæ Aaron fuerat sacerdotis, positæ sunt a sancto Moyse in tabernaculo Testimonii. Alia die invenitur virga Aaron produxisse flores et frondes, et peperisse nuces.

XXI. Libet igitur hoc tantisper exemplum cum perfidia comminisci, ubi maxime figura intervenit sacramenti.

(a) Psal. cv, 17, 18.

¹ Codex male *spiritibus*. — ² Id. quod.

Virga ecce protulit quod virga non habuit¹. Non radicata plantario, nec defossa sarculo, non animata succo, nec fecundata seminario, non mersa exculto² arvo, et tamen germinavit in flore, fructificavit in fronde, et fructus dedit quos non habuit in radice. Et cum jam totum perdidisset quod habebat ex arbore, utpote quæ esset abscisa ad testimonium tamen præcipui sacerdotis, virga exhibuit quod naturalis origo non habuit: quia contra naturam nuces concepit et peperit. Virgo ergo non potuit contra naturam Dei Filium generare? Ecce ego dicam tibi quemadmodum Virgo concepit et peperit; tu mihi ostende qualiter virga omni suggestu naturæ vacua germinavit. Sed procul dubio nec conceptum poteris virgæ explicare, nec Virginis partum. Si ergo non poteris dicere quemadmodum virga peperit nuces, Virginem poteris dicere quemadmodum concepit et peperit veritatem? Accipe ergo dominicæ Incarnationis effectum, quia virgæ parentis non potes explicare mysterium.

XXII. Veni ad me, et dicam tibi quod intus audiivi. Pudore hic, non ratione conturbor, et volo in sermone esse verecundiam, dummodo non sit in fide periculum. Da veniam, Christe, et parce ori meo, quia Incarnationis tuæ mysterium temerarius narrator attingo³; et tu quidem clausum dimisisti uterum tuum, sed nobis permisisti aperire incredulis Evangelium tuum. Dicam tandem quod in cubiculo naturæ conficitur. In vulva Virginis genitalis sanguis, et germinans humor⁴ fuit. Huic sanguini vel humori Verbum se velut coagulum miscuit, et sanguinis vel humoris substantia congelata carnem fecit. Accessit Spiritus sanctus, et hæc quæ fuerant gelata, et Verbi quodam glutino commassata, formavit; formata distinxit; et formam

¹Vide Serm. cccxlv, n. 3. — ²Cod. *excultali*. — ³Assolet sanctus Doctor in enucleandis quæ difficulta sunt, Deo se commendare, ut sæpius in scriptis authenticis videre est. — ⁴Codex male *geminus*.

hominis, qua Deus inclusus in lineamentis suis tenebatur, explicuit. Ecce habes quemadmodum Virgo concepit. Si quæris qualiter et peperit, dicam tibi: ita peperit sicut ante concepit; quia qui uterum insensibiliter intravit, incorruptibiliter sicut intravit; exivit. Nam, ut agnoscas verum ordinem officii naturalis, Virgo peregit tempora pariendi, virga non habuit tempora germinandi. Illa enim, decursis novem mensibus, peperit: virga intra triduum; quod in natura non habuit, germinavit. Ecce ipse primus homo nec patrem docetur habuisse nec matrem: ex limo enim terræ factus est quæ non haberet originem. Quomodo ergo corpus factum est sine semine? quomodo caro extitit sine carne? Ex vulva tamen quodammodo exivit terræ, et nihil tamen consumptum est in matrice. Unde ne dubites quin si in rem præsentem te hujus comparationis induco, nulla tibi nascatur in hac assertionem cunctatio. Solis radius specular penetrat, et soliditatem ejus insensibili subtilitate pertrahit; et videtur intrinsecus qui extat extrinsecus¹. Nec cum ingreditur dissipat, nec cum egreditur violat; quia et ingressu et egressu ejus specular integrum perseverat. Specular ergo non rumpit radius solis; integritatem Virginis ingressus aut egressus vitare poterat veritatis?

XXIII. Sed quid ulterius moror? Audiatur Christianus quod non vult audire Judæus, ut hic proficiat redemptus, ille deficiat induratus. Vere illa Aaron virga Virgo Maria fuit, quæ verum sacerdotem concepit et peperit, de quo dictum est: « Tu es sacerdos in æternum (a). » Superiori versu jam dixerat « Virgam potestatis suæ emittet Dominus ex » Sion (b); » nam quod et nucem peperit, imago dominici corporis fuit. Nux enim trinam habet in sua unione substantiam; corium, testam et nucleum. Per corium, caro,

(a) Psal. cix, 4. — (b) Ibid. 2.

¹Vide Serm. cccxlv Appendicis Maurinensis, n. 3, 4 et 5.

per testam ossa, per nucleum, interior anima. Sed hic in corio nucis carnem significat Salvatoris, quæ habuit in se asperitatem vel amaritudinem passionis; in nucleo, interioram dulcedinem Deitatis, quæ tribuit pastum, et luminis subministrat officium; in testa, lignum medium interserens crucis, quod non discrevit id quod intus et foris fuit, sed magis quæ terrena et coelestia fuerant, mediatoris ligni interpositione sociavit, Apostolo dicente: « Quia » pacificavit per sanguinem crucis suæ, sive quæ in coelo » sunt, sive quæ in terra (a). » En, Judæe, virga tua Virgo est nostra.

XXIV. Si quidem ethymologiam hujus nominis retrac-temus, virgo quasi virga; a virga virgo¹. Jamque intelligant ipsa sibi convenire vocabula, cum unius litteræ differentia, hoc videatur virgo sonare quod virga. Volunt autem nosse a virga Virginem designatam? Audiant quod Esaias hic dicat: « Exiet, inquit, virga de radice Jesse (b). » Virga est de genere Jesse; Jesse pater David; ex genere David virga, quæ virga Maria fuit. Neque enim de homine Jesse lignum, id est virga, potuit germinare. Non ergo de Jesse exivit virga, sed Virgo Maria, quæ generi secundum carnem originique respondens, caro fuit quæ virga fuit, sed virgo fuit, quæ virgo concepit et peperit. Ac ne (non)² putent de David fuisse prædictum, ratione temporis excludantur. Quando enim hoc Propheta dixit, jam David mortuus erat. « Exiet, inquit, virga de radice Jesse, » in quo futurum tempus non præteritum designavit. « Exiet » enim inquit, non, « Exivit. » Denique quod sequitur auscultent: « Exiet virga de radice Jesse, et flos de radice » ejus ascendet (c). » Flos iste caro est Domini³, quæ

(a) Coloss. 1, 20. — (b) Isai. xi, 1. — (c) Ibid.

¹ Codex male *virginem*. — ² Non hic videtur abundare. — ³ Vide Sermonem in de Symbolo ad Catechumenos n. 4.

nata sine vitio humani seminis, florentem per omnia pulchritudinem retinet societatis. « Et flos, inquit, de » radice ejus ascendet, et requiescet super eum Spiritus » Domini (a). » Super quem? Scilicet super florem. « Spi- » ritus sapientiæ et intellectus, Spiritus consilii et fortitu- » dinis, Spiritus scientiæ et pietatis, et Spiritus timoris » Domini replevit eum. Non secundum gloriam judicabit, » neque secundum loquelam redarguet, sed judicabit » humili judicio, et redarguet gloriosos terræ. Et percu- » tiet terram verbo oris sui, et spiritu per labia interficiet » impium; eritque justitia præcinctus lumbos suos, et » veritate involutus latera (b). » Et paulo post: « Et erit, » inquit, in illa die radix Jesse, et qui exurget princeps » esse gentium, et in nomine ejus omnes gentes spera- » bunt (c). » O florem regem! O florem judicem! Sicut ergo virga illa, non virga, sed Virgo est, sic et flos ille, non flos virgæ, sed caro est. Quæ florem quidem peperit, et ex genere carnis carnem emisit: sed originem peccati illa generatio non habuit; quia non ex viri semine natus extitit, sed de Spiritu sancto conceptus exivit. Virga ergo ista, Virgo est designata. Virga ergo potuit, ut diximus, sine semine parere, Virgo non potuit sine viri semine, incorrupta generare? Sed illud, inquiunt, fecit divina potentia. Et istud similiter divina est operata prudentia: illa quæ in se contineret imaginem, hæc quæ perfectam exhiberet divini operis veritatem.

XXV. Audi aliud majus et fortius documentum quod de Ezechiele propheta monstrabo; quod præterita die dominica lectitatum est, et ideo exinde aliquid dicere prætermisi, ut huic diei sacramenti expositio servaretur. « Et converti me, inquit, secundum portam viæ » sanctorum exterioris quæ aspicit ad Orientem, et ipsa

(a) Isai. xi, 2. — (b) Ibid, 2-5. — (c) Ibid, 10.

» erat clausa. Et ait ad me Dominus : Porta hæc clausa
 » erit et non aperietur, et nemo transit per eam¹; quia
 » Dominus Deus ipsius Israël ipse intrabit per eam, et
 » exiet, et erit clausa (a). » Redde mihi ergo rationem por-
 tæ hujus per quam intravit Dominus et exivit Deus, et
 non poterit nec introitus deprehendi, nec exitus. « Porta
 » enim, inquit, hæc erit clausa, et non aperietur, quia
 » Dominus Deus ipsius Israël ipse introibit, et exiet, et
 » erit clausa. » Sed porta hæc, quam allegorice posuit, for-
 sitan simpliciter porta creditur. Porta ista, ventris est
 janua, pudoris est ostium. Hoc unde probamus? Dicat
 beatissimus Job: « Maledictus, inquit, sit dies ille in quo
 » natus sum, qui non clausit portam ventris matris meæ,
 » cum me pareret (b). » Porta, inquit, ventris, exitus
 est pudoris, id est, venter et pudor Virginis, per quam
 nemo alius nisi ipse qui intravit, et exivit. Intravit enim
 Deus, et exiit homo perfectus et non corruptus, nec
 clausam eam, cum intraret, aperuit, sed clausam, cum
 exiret, exhibuit; quia ipse est qui « Quod aperit nemo
 » claudit, et quod claudit, nemo aperit (c). » Exurge igitur,
 Esaias, lætus exurge, et junge Ezechielo manus,
 et unito Spiritu in gloria dominicæ Nativitatis applaudite.
 Illico beatus David occurrat cum cithara illa, spirituali
 plectro dulcisona, et in sacramento Nativitatis Christi re-
 tinniens non fidibus, sed mysteriis harmonia. Audiamus
 ergo quod Esaias propheta dicat²: « Rorate cæli desuper,
 » et nubes pluant Justum; aperiatur terra et germinet
 » Salvatorem (d). » Quæ est terra? caro nostra, quæ cen-
 sebatur virgo, Maria quæ appellatur. « Et terra germi-
 » net Salvatorem » non eget interprete. Non utique car-

¹ (a) Ezech. XLIV, 1, 2. — (b) Job. III, 3, 10. — (c) Apoc. III, 7. — (d) Isai.
 XLV, 8.

² Vide Sermonem CXC de Annuntiatione Domini III, tom. V, fol. 324 in Ap-
 pendice Maurinensi. — ³ Vide Operis imperfecti contra Julianum lib. I, n. 140.

nali semine, sed cœlesti rore, et nubium non imbre, sed
 opere, quæ descendentem in carne Domino non adjutorium,
 sed officium præbuerunt. Quod alibi David evidentius dicit:
 « Descendit quasi stillicidia rorantia super terram (a). » Et
 iterum de hoc ipso: « Terra dabit fructum suum (b), » quod
 specialiter Virginis refertur ad uterum. Et vere dedit
 « Fructum suum, » quia semen nescivit alienum.

XXVI. Qui hoc dubitas, exemplis fidem tuam credu-
 litatemque conforta. Ecce enim in ipso primordio ex per-
 fecto masculi corpore costa divellitur, et locus avulsi
 membri nulla in parte corporis invenitur; minus fit unum,
 plenum sed totum est. Nullum in corpore indicium cer-
 nitur cicatricis, nec vestigium avulsionis apparet. Exit
 costa de latere, et corpus non caret plenitudine. Perfec-
 tum est quod exit, integrum quod amisit. Et ut amplius
 præsumam, absque passionis injuria, virile corpus costa
 ex sese quodam modo generavit; extititque corpus lucrum,
 quod matri suæ non intulit detrimentum. Potuit ergo e
 latere hominis costam divina virtus educere, et nulla
 corpus vexari corruptione: ex Virginis utero procedens
 Deus, integritatem non potuit custodire? Et utique ip-
 sum Dei Filium hoc operatum in primoplasto, nullus tamen
 stultus, nisi Judæus, impudenter abjurat. Quale
 ergo est ut quod fecit in origine, cum formaret mulie-
 rem, non potuerit operari cum nasceretur ex Virgine?
 Aut quod in corpore hominis non permisit agnosci, quo-
 modo¹ pateretur in matris suæ pudore deprehendi? sed
 « Replevit, inquis, in locum ejus carnem (c) », et non
 prodidit passionem. Sic ex utero procedens Verbum ha-
 buit exitum, sed non diripuit pudorem, nec signum ibi
 reliquit corruptionis, ubi opus intererat incomparandæ

(a) Psal. LXXI, 6. — (b) Id. XLIX, 7. — (c) Gen. II, 21.

¹ Codex male quando.

virtutis. Ostende denique mihi quemadmodum in locum costæ repleverit carnem, et ego tibi exhibebo quemadmodum exierit de utero, et non reliquerit passionem. Sed profecto illud monstrare non poteris; quia quod virtute perfectum est, investigare non sineris: ita ergo et corruptelam Virginis affirmare non poteris, quia clausum Deus esse voluit quod inquiris.

XXVII. Exurge ergo in laudes Domini, Christiane, lætus exurge. Ecclesiam Dei, templum Christi, domum Spiritus sancti sonoris imple præconiis. Intra in stabulum Creatoris, frequenta præsepium Salvatoris, et æterni pastoris deosculare pannos: cunas amplectere. Veni, compone mecum laudes ad foetam nostram, Virginem sanctam, matrem veram, non ex partu marcidam, sed de pudoris integritate formosam. Lauda cum cœlis, lauda cum Angelis, lauda cum Virtutibus universis, lauda cum terrenis et inferis elementis; et ne desinas, ne quiescas dicere gloriam Salvatoris: « Gloria in excelsis Deo, et in terra pax » hominibus bonæ voluntatis (a). »

(a) Luc. II, 14.

SBRMO VIII.

In Natali Domini II.

Hic sermo ex Codice Cass. XII, n. 2, depromptus in quo totum aut fere totum S. Augustino tribuitur, omnes notas authenticitatis colligit. Locus ejus in editione Benedictinorum post præcedentem cum numero in Natali Domini xv.

SYNOPSIS.

I. Investigabilis Nativitas Christi. II. Exagitur Judæi dubitantis impietas. III. Ipse Filius Dei in fine temporum venit legislator.

I. FRATRES charissimi, quantum magnitudo salutaris mysterii, et dominicæ Nativitatis expetit sacramentum, nulla humanitatis obsequia, præconia nulla sufficiunt. Quæ enim tanto muneri, tantæque gratiæ devotionis nostræ infirmitas respondebit, ubi Unigenitus altissimi Patris cum Patre æternitate perpetuus, cœlo; terris, inferisque terribilis, pro salute hominis humani corporis voluit subire consortium? aut quæ lingua enarrare poterit, quod usus investigare non prævalet? Quis vero hominum illud æstimare conabitur, in quo solus sibi est Deus et auctor et conscius? « Nemo enim novit Filium nisi Pater (a). » Quomodo potest ad secretum virginæ Nativitatis corrupta peccatis hominum fragilitas pervenire? Nascitur itaque, nascitur Christus non necessitate vivendi, sed voluntate salvandi. Nascitur inter mortuos, qui vitam donat mortuis. Nec dubitemus effectum, quod futurum Prophetarum maxi-

(a) Matth. XI, 27.